445.—
toexy
9453L

# CATALOGUS
# CENTURIAE LIBRORUM
# RARISSIMORUM

MANUSCRIPT. & partim IMPRESSORUM,

## Arabicorum, Perſicorum, Turcicorum, Græcorum, Latinorum, &c.

Qua anno cIↄIↄccv Bibliothecam Publicam Academiæ UPSALENSIS auxit & exornavit

*Vir illuſtris & generoſiſſimus*


## IOAN. GABR. SPARVENFELDIUS,

S:æ R:æ M:ti a ceremoniis Legatorum publicis Primarius.


*Ad animum gratum teſtificandum ſeorſim editus ſumptibus ejusdem Bibliothecæ.*


UPSALIÆ,

Typis JOH. HENR. WERNERI S:æ R:æ M:TIS & Acad. Upſal. Typographi.

CIↃ IↃCC VI.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/cataloguscenturi00upps

# PATRES CONSCRIPTI
## ACADEMIÆ UPSALENSIS,
*Viri omnium Facultatum Præcellentiſſimi.*

QUos variis, iisque difficillimis per Europam, partemque Africæ, antiquitatum potiſſimum Gothicarum indagandarum ergo juſſis ſuſceptisque pariter & confectis itineribus aliquo ſtudio, impenſis, ac periculis, undique conquiſiveram Codices MSS. & impreſſos Arabicos, Syriacos, Ægyptiacos, Turcicos, Perſicos, Græcos, Slavonicos, Latinos, Moldowlachos, Sinenſes, Rhæticos, Epiroticos, &c. apud Europæas gentes plerasque, ſeptentrionales cumprimis maximam partem nec viſos nec cognitos, magnæ antiquitatis variæque adeo ſapientiæ raræque ſcientiæ plenos, certe ad illuſtrandam Patriæ gloriam maxime valituros, illorum heic centuriam partemque non ſpernendam Academiæ ac Bibliothecæ Upſalenſi lubens meritoque dico, offero, veſtræ vero, Patres Academici, curæ fideique nunc ſiſto, permitto.

At enim ubi potius hæc Antiquitatis cimelia deponerem, quam ad illud bonæ mentis ſacrarium Academiam Upſalenſem, nutricem quon-

quondam meam ſvaviſſimam, quæ & antiquitate & celebritate nominis, meliorum itidem artium diſciplinarumque cultu, vel cuivis per terrarum orbem alii palmam facere dubiam facile queat? Quibus concrederem rectius, quam viris omnigenæ eruditionis laude præcellentibus, omnis Divinæ, humanæ, abstruſæ etiam ſcientiæ promis æquè ac condis fideliſſimis? Adſervate ergo, Conſcripti Patres, hos qualescunque itinerum meorum fructus, an fructuum partes vel reliquias, Academiæ ac Bibliothecæ quo placitum loco: ſint amoris in Patriam, ſtudii erga Academiam, animi erga Vos mei totidem obſides, teſtes, interpretes. Valete & feliciter rem gerite.

*Præcellentium Nominum Veſtrorum*

Holmiæ ad d. xv Maji
anni cIↄIↄccv.

obſervantiſſimus

J. G. SPARWENFELDT.

S:Æ R:Æ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO
Et a ceremoniis Legatorum publicis Primario
*Illuſtri & Generoſisſimo Domino,*

# JOHANNI G. SPARWENFELDIO,

S. D.

DEſunt nobis verba, *Vir Generoſisſime*, quibus exornemus aut potius dignis encomiis celebremus ſplendidum illud munus literarium, quo nuperius per ſingularem *Tuam* munificentiam inſigniter aucta & ornata eſt Bibliotheca Academica. Id ſaltem noſtri in præſens intelligimus eſſe officii, hoc nomine, *Tibi, Vir Generoſisſime*, ex Senatus Academici decreto gratias agere ſolennes, easdemque immortales, & Muſis Upſalenſibus pretioſisſimam hanc acceſsionem impenſe gratulari. Profecto ubi collectoris ſummam fidem, diligentiam atque induſtriam prope incredibilem cogitamus in tot codicibus MSS. & impresſis conquirendis parandisque, utpote emenſi tot deſperata per Europam partemque Africæ itinera, ad illuſtrandam dulcisſimæ patriæ & Gothicæ gentis inveteratam gloriam unice ſuſcepta; pariterq; libros intuemur ipſos, quorum pleriq; in hunc diem Arctoo orbi nec viſi nec cogniti, nedum lecti

&

*& excuſi ſunt, inæſtimabile donum jure cenſemus, adeoque nunc maxime omnes animadvertimus, quam propemodum nihil hæc bibliotheca, ſi librorum copiam & varietatem ſpectes, aliis quibusvis in orbe literato cedat. Adſervabitur, Vir Generoſiſſime, hoc antiquitatis* κειμήλιον *in gratam & perpetuam Tui memoriam, conficieturque & typis divulgabitur horum omnium voluminum index, quo non ſolum indigenis, ſed & exteris hominibus, cunctisque omnis populi ævique poſteris innoteſcat, quid quantumque Illuſtri* SPARWENFELDIANO *nomini debeant noſtræ Camenæ. Atque ſic lectisſima hæc Codicum ſuppellex, uti Tuorum itinerum fructus eſt uberrimus: ita ſolidæ & nunquam intermorituræ gloriæ liberalitatisque Tuæ teſtis erit ac pignus ſempiternum. De cetero ſemper Te venerabimur, quem virtus Tua & eruditio ſumma nobis omnibus & amicum & celebrem fecit. Vale*

*Generoſiſſimi Tui Nominis*

*Upſalis ipſis calendis Quinctilis*
*MDCCV.*

obſervantiſſimi

Rector & Senatus Academicus.

# LIBRI M. S. S.
## ARABICI, PERSICI, TURCICI.

### I.

### القران

AL - *Coranus* Muhammedis, exaratus charactere Africano - Maroccenſi, punctis minio ubique adſcriptis. in 4:to. Circa finem quædam capitula deſiderantur; ſed ſupplevit utcunque illum defectum recentior manus, quæ a Surâ LXXXI. ad XCIII. progreditur, omni punctorum apparatu omiſſo. Poſt hanc reliquæ Suræ omnes deſunt. In omnibus ferè publicis Bibliothecis, & apud privatos quamplurimos hoc tempore Corani nitidiſſima inveniuntur exemplaria, quæ devicti ſæpius Turci una cum caſtris & ſarcinis victoribus Chriſtianis reliquere. Sed rariores ſunt aliis hujus ſcripturæ codices, quod inter omnes Muhammedanos diligentiſſime caveant Maroccani, ne ab exteris coëmantur eorum libri, & in alias terras exportentur.

## II.

CODEX ſcriptus lingva Hiſpanica, ſed literis Mauritanicis, in certa كبتل *Capitula* diviſus.

Charta tenuis eſt, & bibula, ut plerunque non niſi una facie ſcripturam, eamque ſatis rudem & informem admiſerit. in 4:to. Argumentum libri in frontiſpicio annotatum eſt manu Nobiliſſ. Legatoris, hoc modo: *Extrait de l' Alchoran en langve Eſpagnolle, lettre de Feſſ & Marocco tres ordinaire et mal peinte. Mais rare en ſon eſpece comme l' autre.* i. Excerpta ex Alcorano Hiſpanica lingvâ, & incomtâ ſcripturâ, qualis Feſſanis & Maroccanis maximè in uſu eſt. Quæ tamen in ſuo genere non minus rara eſt, atque altera. Hujusmodi libris uſi ſunt Saraceni cùm Hiſpaniam tenerent. Et illis quidem potiſſimùm prælegebantur, qui in Hiſpania nati & educati, lingvam Arabicam nunquam didicerant, nec tamen fidei Muhammedicæ cæteris Mauris minus pertinaciter erant addicti. Ne autem legi hæc poſſent a Chriſtianis, inter quos vivendum ipſis fuit, ſub ignotis hiſce literis, quaſi quodam velamine, impia ſua dogmata tegebant. Haud aliter ferè, atque fieri hodie videmus à Judæis, qui libros variis lingvis Hebraico vel Rabbinico charactere ſcribunt imprimuntque. Contra ea vidiſſe ſe in Africa plurimos etiam libros Muhammedicæ ſuperſtitionis lingvâ quidem Arabicâ, ſed literis Latinis, vel Hiſpanicis conſcriptos, Illuſtriſſ. Dn. Sparfwenfeldius nobis retulit. Quos in eorum uſum conſignatos arbitratur Vir Nobiliſſ. qui Arabicè utcunque intelligerent, ſed legere non didiciſſent. Ut autem in priori librorum genere ſub ignoto charactere doctrinam ſuam occultabant, ita in hoc, per ignotam lingvam idem præſtare conabantur. Cæte-

rum

rum hoc ſcribendi modo non tam deluſi Chriſtiani, quam eo ſatis feliciter uſi ſunt ad illos ipſos Mauros præceptis Chriſtianæ fidei imbuendos. Quippe lingvâ Arabicâ, ſed charactere Gotho-Hiſpanico jam olim excudi fecerunt in Hiſpania librum præcipua doctrinæ Chriſtianæ capita, item Lexicon & Grammaticam, continentem, qui inter alios libros rariſſimos in Bibliotheca Ill. Dn. Sparfwenfeldii extat.

## III.

CODEX *alius* ejuſdem generis, meliori charta, in 4. Cui ad calcem hæc adſcripſit Nobiliſſ. Dn. Sparfwenfeldius: *Extrait del' Alcoran, ou livre de la loix Mahometane, eſcrit en Eſpagne en lettre Arabe, & langve Andalouſe. à Tunis ce 26 d' Octobre* 1691. i. Excerpta ex Alcorano l. Liber de lege Muhammedana, ſcriptus in Hiſpania literis Arabicis, & lingua Hiſpanica. Comparatus Tuneti d. 26. Menſis Octob. A. 1691.

## IIII.

كتاب تحفت الاديب في الرد عن
اهل الصليب والسلام &c. عبد الله
بن عبد الله الترجمان

TUhfat *Al-adîb fi'l redd an ahli 'l ſalîb* &c. Auctore *Abdalláh Ben Abdalláh Al-Targimân*, (ſ. Interprete.) in 4. Hic auctor è Chriſtiano factus Muhammedanus Tuneti circa A. Ch. 1429, hunc contra Chriſtianos librum compoſuit. Cum hoc conjunctus eſt alius hujus tituli:

كتاب مقدمة ابو الليث
السمرقندي

LIber: *Mucaddemat*, Auctore *Abu 'l Leith Al-Samarkandi.* Herbelotio perperam dicitur Aboulaith Candi. Bibl. Orient. pag. 24. Fuit autem illuſtris inter Moslemios Antiſtes & Juriſconſultus. Inſcriptio plenior eſt: *Mucaddemat Al-ſalât* i. *Præparatio ad Orationem*; quâ libri argumentum ſatis oſtenditur. Ob acumen ab Herbelotio commendatur, & in Bibliotheca Regis Galliæ inveniri dicitur. Extare item in Biblioth. L. Bat. oſtendit cat. Spanhemii p. 361. num. 481. & in catalogo Bibl. Oxonienſis ſ. Mſſ. Angliæ Tom. II. P. II. pag. 64. num. 1871. occurrit hoc titulo: *Abu'l Leits Aſſamarkandi ae juris rerumque divinarum ſcientia.*

V.

كتاب المغني في فن الطب
تاليف عبد الله بن احمد بن
محمد المالقي العشاب المعروف
بابن البيطار

AL-*Mogni* i. Liber Abſolutiſſimus in ſcientia Medica, Auct. *Abdalláh Ben Ahmed*, *Ben Mohammed*, *Botanico Malakienſi*, vulgo *Ibn Beithâr* dicto. in 4. Reg. Ibn Beithâr celeberrimus Arabum Botanicus, claruit vergente ad occaſum imperio

perio Abbaſidarum. Is, ut refert Johannes Leo Africanus in libello de doctis Arabibus, natus Malagæ in Hiſpania (quæ Arabibus مالقية *Malakía*) poſt multas peregrinationes in Africa univerſa, & Aſia ferè tota, in patria obiit anno Hegiræ 594, i.e. a. Ch. 1197. Volunt tamen alii Africanum fuiſſe, & mortuum eſſe Damaſci An. Heg. 646. i. e. A. Ch. 1248. vid. clariſſ. Golium in Lex. Arab. & Sam. Bochartum in fine Prolegom. ad Hierozoic. Apud Salaho'ddinum Yuſeph Ebn Iyub Ebn Shadi Sultanum Ægypti, principem * حليما كريما حسن الاخلاق *Manſvetum, beneficum, moribusque ſvaviſſimum*, diu ſubſtitit, nempe ad obitum ejusdem, qui contigit A. Hegiræ 589. Cæterum quod dicto loco, & paſſim in ſcriptis ſuis laudat Bochartus de plantis accuratum opus Aben Bitaris Medici Malacenſis, longe diverſum eſt ab hoc dono Illuſt. Sparſwenfeldii, inſcribiturque الجميع *Collectio*, vel potius *Collectio Magna* لقوي الادوية والاغذية لابن البيطار *de viribus medicamentorum, & alimentorum, Auct. Ibn Beithâr.* Id opus pluribus conſtat voluminibus, quorum quodque in ſua capita, ſecundum ordinem Alphabeti, diſtingvitur, nec plantas modo, ſed etiam animalia, lapides, terras &c. medicinasque inde parandas fuſe deſcribit. Præſenti autem libro tantum medicamen-



* Abulphar. Hiſt. Dynaſt. pag. 421.

ta è ſimplicibus petenda capitibus xx. atque ordine traduntur ſequenti: Caput I. De medicamentis Simplicium, quæ proſunt contra morbos capitis. Cap. II. Quæ proſunt contra morbos oculorum. Cap. III. Contra morbos aurium. Cap. IV. Contra morbos naſi. Cap. V. Contra morbos oris. Cap. VI. Contra morbos gutturis, & reſpirationis, item pectoris, & membrorum, quæ cum illo cohærent. Cap. VII. Contra morbos hepatis, & ſplenis. Cap. VIII. Contra morbos inteſtinorum. Cap. IX. Contra morbos ani. Cap. X. Contra morbos renum. Cap. XI. Contra morbos genuum. Cap. XII. Contra morbos genitalium in viris, membrorumque, quæ cum illis conjuncta ſunt. Cap. XIII. Contra morbos uteri, membrorumque conceptus atque partus: item de medicamentis conſervantibus fœtum. Cap. XIV. Contra dolores articulorum in univerſum, & in ſpecie. Cap. XV. Contra dolores vulnerum, & ulcerum. Cap. XVI. Contra dolores tumorum, & puſtularum. Cap. XVII. De medicamentis ſimplicium, quæ adhibentur potiſſimum ad corpus exornandum. v. g. ad conſervandos, augendos, colorandos &c. capillos: ad necandos pediculos, lendes &c. ad tollendam lepram, vitiliginem, lentiginem, & impetiginem cutis: ad abolendas maculas, nævos, cicatrices &c. ad efficiendam & conſervandam formam &c. Cap. XVIII. De remediis ſimplicibus contra morbos febriles, atque peſtilentes. Cap. XIX. De Antidotis ex ſimplicibus. Cap. XX. De medicamentis ſimplicibus generalia quædam, item de mirandis quibusdam effectis Simplicium extra medicinam. Libri deſcriptio abſoluta fuit menſe Du'lkaáda An. Heg. 927. (i. A. Ch. 1520.) ut in fine a librario annotatum. Hunc tractatum Herbelotius in Bibliotheca Orientali pag. 199. his verbis deſcribit: *Nous avons auſſi de lui*

(Ben

(Ben Beithar) *le Mogni ſi adviát al moſredát, dans le quel il traite de l' uſage des ſimples pour la gueriſon des maladies de chaque partie du corps.* i. Habemus etiam ab illo librum: *Mogni* &c. in quo de utilitate ſimplicium in parandis contra ſingulorum in corpore humano membrorum morbos medicinis agitur. Et eundem puto eſſe, qui in Catalogo Bibliothecæ Laurentinæ in Eſcuriali Regis Hiſpaniæ ſub n: 128. ita memoratur: *Iben Ibaytaris Malakienſis liber abſolutus * de morbis per adminiſtrationem medicamentorum ſimplicium* auctoribus authenticis electorum, ſcriptus a fugâ* 817. Invenitur pariter in Bibliotheca Magni Ducis Hetruriæ II. voluminibus in 4. teſte Herbelotio p. 597.

## VI.

الجزو الثاني من كتاب الماية
تاليف ابو سهل عيسي بن
يحي المسيحي

PArs II. Libri *Al-Míat.* Auctore *Abu Sehel Iſa Ben Jahía Al-Masſihi.* in 4. Alterum eſt volumen magni operis *de Praxi Medica*, complectens Librum XXXIX. & ſequentes, uſque ad finem. Dictum eſt

الماية *Al-Míat*, quod in libellos centum ſit diviſum.

Elucubravit idem luculentum in Avicennam commentarium. Scriptus hic liber elegantiſſima manu, punctisque ubique veſtitus eſt, quod, ſi Alcoranum excipias, ſatis rarum & inſolitum. Extat in Bibliotheca Regis Galliæ. Herbel. p. 561. In Catalogo Mſ. Bibl. Oxon. Tom. II, P. II. pag. 63. n. 1829. habentur *Inſtitu-*

*tiones*

*tiones Medicæ Safi Addaulit Melik Ibn Nigzm Maſibi.* Quæ an cum hoc vel auctore, vel libro quidquam commune habeant, dicere non poſſum.

## VII.

الجزا الثامن من كتاب الكامل
في التاريخ تاليف ابن الاثير
الجزري الماحب* عز الدين

PArs Octava Libri: *Al-Camel fi 'l Tárikh.* i. Hiſtoria Univerſalis, Auct. *Ibno'l Athir Al-Gezeri Al-Máheb Ezzeddin.* Pars eſt non exigua grandis operis, quod ſcripſit *Abu 'lHaſan Ali Ben Abi'l Karam Mohammed Ben Mohammed Ben Abd Al-Karim Ibn Abd Al-Váhid Al-Scheibáni*, qui vulgò & brevius dicitur, ut in titulo poſuimus, quamvis nec altera cognominatio longior in inſcriptione ipſius codicis omittatur. Dictus autem eſt الجزري *Al-Gezeri*, quod natus eſſet in oppido جزيرة ابن عمر *Gezirat Ibn Omar*, ad Tigrim ſito. Obiit Moſali, ubi vixerat, an. Heg. 630. Fratrem habuit eruditione atque ſcriptis ipſo non minus clarum, de quo vid. Pocockius Specim. Arab. p. 367. & Herbel. p. 145. Hiſtoriam ſuam a creatione mundi perduxit noſter ad finem an. Heg. 628. i. An. Chr. 1230. Quæ continuata deinde eſt ab alio, & ab alio rurſus

* Ita legendum puto hoc nomen, cujus obſcura admodum in codicis titulo ſuperſunt veſtigia.

rurſus in epitomen redacta. In Perſicam vero lingvam converſa eſt juſſu Miranſchah filii Tamerlanis. Totum opus XIII. conſtare voluminibus Herbelotius refert. Quorum I. II. III. & IIII. in Bibliotheca Oxonienſi inter libros Pocockianos reperiuntur. * Quem autem hic recenſemus, magnæ molis codex, tres continet hujus Hiſtoriæ ſectiones, quarum I. incipit ab a. Heg. 296. & deſinit in an. 369. Ingens inde eſt hiatus, ut affirmare non dubitem magnam operis partem hic deeſſe, quæ deficientem annorum 159. hiſtoriam continere debebat. Altera ſectio complectitur hiſtoriam Anni 528. & ſeqq. uſque ad an. 585. Tertia inde progreditur ad An. 628. qui eſt totius operis ultimus. Diſcimus hoc ex librario, cujus extat in calce libri annotatio ſequens : وهذا اخر ما وجد من كتاب المصنف *Hic eſt finis libri ab auctore conſcripti :* Poſt pauca vero de ſe addit : وكان الفراغ منه في اليوم المبارك سادس عشر رمضان سنة ثمان وثلاثين وتسع مايه علي يد العبد الفقير محمد بن احمد بن محمد الزرقاني *Cujus* (libri) *abſoluta eſt deſcriptio die benedicto* 16. *Menſis Ramadhân* an. 938. (qui eſt æræ Chriſt. 1531) *manu pauperis ſervi Mohammed Ben Ahmed Mohammed Al-Zerkani.*



* vid. catal. Mſſ. Angliæ Tom. I. p. 277. & Pocock. Spec. Arab. p. 370.

VIII.

الاول من النجوم الزاهرة في ملوك
مصر والقاهرة تاليف جمال الدين
ابي المحاسن يوسف ابن المقر
المرحوم تغري بردي الاتابكي

VOlumen I. Libri: *Al-Nugiúm Al-Sáhiret*, h. e. *Sidera Fulgentia*, de Regibus Ægypti, & Al-Cahiræ. Auctore *Giemálo'ddín Abi'l Mehâſin Juſuph Ibn Al-Mokir Al-Marhûm Tagri Bardi Al-Atabeki.* Liber rariſſimus. in 4. Vixit hic ſcriptor circa an. Heg. 840. an. Chr. 1436. Dictus eſt مورخ مصر *Hiſtoriographus Ægypti*, quod hiſtoriam illius regni ſumma cum diligentia & accuratiſſimo ſtudio conſcripſit. Quam cum vidiſſet, & legiſſet Selimus Turcarum Imperator, in lingvam Turcicam a Shamſe'ddino converti juſſit circa an. Heg. 940. Auctor ipſe opus ſuum in compendium redegit, emiſitque in publicum cum titulo: كتاب الكواكب الباهرة المختصر من النجوم الزاهرة Quod compendium bis reperitur in Bibliotheca Lugduno-Batava. * Patrem noſtri

* vid. Catal. Spanhemii p. 319. & 343.

noſtri ab Arabibus تغري بردي *Tagri Bardi* perperam dici obſervat Herbelotius, cum Turcice ſit: تكري وردي *Tanri Virdi* i. Deus dedit, vel, Deodatus. Fuit is كفيل ممالكي الشاميه والحلبيه Kaphíl h. eſt, *Adminiſtrator redituum Sultani Ægypti in provinciis Damaſci & Alepi*, ut eſt in titulo operis præſentis.

## IX.

### كتاب حسن المحاضرة في اخبار مصر والقاهرة تاليف جلال الدين السيوطي

Liber: *Hoſn Al-Muhádhæret*. continens Hiſtoriam Ægypti & Al-Cahiræ, auct. *Gelâl o'ddin Al-Sojuthi*; ſcripturâ & chartâ nitidiſſ. in fol. Nomen hujus Doctoris, & auctoris multorum librorũ, in Oriente celeberrimi, ita ſcribitur: جلال الدين ابو الفضل عابد الرحمن محمد السيوطي Gelâlo'ddin Abu'l Fadl A'bed Al-Rahmã Mohañed Al-Sojuthi (ſ. Al-Asjouthi.) Cognomen accepit ab



pit ab

pit ab urbe Ægypti السيوط *Al-Sojuth* ſ. الاسيوط *Al-Asjuth*, patria ſua. Obiit an. Heg. 911. i. an. Chr. 1505. Haberi eum ſine numero, ait Herbelotius, in Bibliotheca regia Pariſ. Bis extat in Bibliotheca Lugdun. Bat. vide catal. Frid. Spanhemii pag. 302. n. 23. & pag. 319. num. 29. Ter memoratur in catal. Mſ. Angl. viz. inter Pocockianos, pag. 277. n. 5617. inter Mareſchallianos pag. 373. num. 8628. & inter codices Narciſſi Archiepiſcopi Dublin. Tom. II. Part. II. pag. 54. num. 1129.

## X.

كتاب الانيس المضروب بروض القرطاس في اخبار ملوك المغرب وتاريخ مدينة فاس تاليف الشيخ الجليل المحدث ابو محمد صالح ابن عبد الحليم

LIber: *Al-Anis Al-Madhrub biraudhi 'l karthâs*, continens hiſtorias principum Mauritaniæ, & annales urbis Feſſæ. Auctore *Abu Mohammed Saleh Ibn Abdi'l Halîm*. Charactere Africano in 4. In quibusdam codicibus inſcriptio paullo aliter legitur: viz. pro الانيس للضروب *Al-Anis al-madbrub*, eſt:

eſt: الانيس المطرب *Anis Al-mothreb* &c. quam quoque lectionem, ut veriorem, ab alia manu hic in margine adpoſitam conſpicimus. Sed & circa nomen ipſum hujus ſcriptoris diverſitatem aliquam deprehendere licet. Quandoquidem ab aliis ابن زرع *Ibn Saraa*, vel: ابو زرع *Abu Zorâ*, vel plenius: علي ابن محمد ابن ابي زرع *Ali Ibn Mohammed Ibn Abi Zorâ* dicatur. Vid. catalog. Lugd. Bat. p. 294. & Clariſſ. Herbelotii Bibl. Orient. p. 258. & 939. Cui alio loco * dicitur: *Ali Ben Mohammed Ben Ali Zarâ*, ubi legendum forte: *Ben Abi Zara*, ut eſt loco priore. Addit autem Herbelotius ſcripſiſſe hunc auctorem librum alium hiſtoricum, hoc titulo: *Zahrat al-Boſtan fi Achbar al-Zeman.* Quod ſane opus in hoc codice cap. 1. circa finem citatum video ab auctore tanquam ſuum hiſce verbis: فقد ذكرنا تاريخها ومن بناها في كتابنا الكبير المسمي بزهرة البستان في اخبار الزمن i. *Jamque tam ipſius* (nempe urbis طنجة Tangiæ ſ. Tanger) *quam fundatoris hiſtoriam memoriæ mandavimus in libro noſtro*



* p. 920.

*ſtro magno, cui titulum fecimus* : زهرة البستان &c. *Flores hortenſes de hiſtoriis ævi præſentis.* Unde colligere licet hunc noſtrum Abdi'l Halim, & Abu Zorâ Herbelotii eundem eſſe ſcriptorem, licet hujus nominis in hoc optimæ notæ codice veſtigium appareat nullum. Ceterum hanc hiſtoriam ſcriptam fuiſſe in gratiam Abû Said Othman Ben Al-Modaffer ſeculo VIII. æræ Muhammedanæ, notat Herbelotius pag. 939. Extat hic liber in Bibliothecæ Lugd. Bat. catal. p. 244. n. 24. Nec dubito hunc eſſe, qui in catal. MS. Angliæ inter libros Narciſſi Archiep. Dublin. Tomo II. part. II. p. 62. n. 1744. recenſetur hac inſcriptione : *Hiſtoria regum Mauritaniæ & urbis Fez Arab.* item pag. 64. aliud exemplar hoc titulo: *Hiſtoria Barbariæ & urbis Fez Arab.* & ibid. num. 1983. *Raudaito'l Cortas, Hiſtoria urbis Fez Arab.*

## XI.

Livre du Familier attaché aux parterres d'Al-Cartas, touchant les hiſtoires des Rois de Mauritanie, et les Annales de la ville de Fez, compoſé par l'excellent Cheik *Abu Mehemet Saleh fils d'Abdelhhalim.* Verſio eſt Gallica libri القرطاس *El-Karthâs*, de quo proxime dictum. Hujus auctor D. Petitus de la Croix, Profeſſor Arabicæ lingvæ, & Regis Galliarum in lingvis orientalibus Interpres, in gratiam Ill. Dn. Sparfwenfeldii hunc interpretandi laborem in ſe ſuſcepit, eoque erudite defunctus eſt. Quædam tamen loca obſcuriora non expo-

ſuit

ſuit, quemadmodum & textus ipſe Arabicus, & relicta in verſione ſpatiola, ſ. lacunæ oſtendunt. Conſtat quatuor voluminibus in 4:to.

## XII.

كتاب السكردان لابن ابي حجله

Liber: *Al-Succardân*, Auctore *Ebn Abi Hagielah*, vel, ut alii codices plenius exprimunt, *Ebn Abi Hagielah Ahmed Ben Jahia Al-Telmeſſani.* In fol. charta nitidiſſ. Obiter notandum, in Herbelotio pag. 1025. lin. 6. pro: *Ben Abi Hagdah*, legendum eſſe: *Ben Abi Hagielah.* Hoc opus dicatum fuit Sultano Mamlucorum Turcicorum in Ægypto Al-Malek Al-Naſer Naſero'ddin Haſan, ( de quo vid. Pocock. ſupplem. Hiſt. Dynaſtiarum pag. 12.) idque an. Heg. 757. Cujus laudes, vitam & geſta toto libro, & præſertim cap. 4. & 5. deſcripta invenies. Dividitur liber in duas partes, quarum quælibet ſeptem continet capita. Hac capitum diviſione, ut alias toto paſſim opere, ad numerum ſeptenarium tanquam auſpicatiſſimi ominis datâ operâ auctor alluſit, tum quod in vita & rebus hujus Sultani, cui librum dedicavit, ille numerus plurimum obſervaretur, tum quoque quod النبي صلي الله عليه وسلم كان يحب الفال *Propheta* (Muhammed) *ominibus multum delectatus fuerit*, ut ſcribit auctor cap. 2. Quid in quolibet tractetur capite, quantum quidem

ad

ad priorem libri partem, ſatis adcurate indicavit Herbelotius in Biblioth. Orient. pag. 851. De Mamlukis Ægypti, eorumque rebus geſtis, de Ægypti admirandis, de Nilo ejusque fluxu, &c. plurima hic invenies indicta aliis; idq; in capite 6. lectoribus pollicetur auctor. Ordo capitum in noſtro codice idem eſt, qui ab Herbelotio traditur, niſi quod in examinandis recenſendisque tribus ultimis capitibus poſterioris partis alia omiſerit, alia minus recte acceperit Herbelotius. Dicerem in mutilum incidiſſe codicem, niſi fateretur ipſe alteram libri partem in ſuo etiam codice ſeptem abſolvi capitibus diverſis, atque his ſuperaddi alia, quæ in noſtro exemplari deſunt. Argumentum capitis quinti in Sparfvenfeldiano codice ita habet:

في بسط الكلام علي ما وقع من ذلك من الحوادث الوقعة بمصر وما في معناها *De memorabilibus Ægypti, in quibus numerus occurrit ſeptenarius, quidque eo ſignificetur.* Quibus hæc aliena prorſus ſubſtituit Herbelotius: *Le cinquiéme porte le nom de ſept fleurs.* At in ſeptimo ſ. ultimo capite ſecundæ partis agit noſter de ſeptem floribus Ægypti, eorumque præſtantia, videlicet narciſſi, violæ, jaſmini, roſæ niſibinæ &c. Unde eſt, quod etiam in catalogo codicum Mſ. Bibliothecæ Lugduno-Bat. editionis an. 1674. in 4:to pag. 361. n. 489. legatur, *ſub finem hujus libri quædam eſſe Botanica.* Sequitur apud Herbelotium: *Le ſixiéme* (chapitre) *porte le titre de Khatemat, ou concluſion finale.* Hic primum notes, argumentum hujus capitis verum eſſe:

في

في بست الكلام على ما وقع في القاهرة وضواحيها والاهرام ونواحيها من اقليم مصر *De Memorabilibus, quoad numerum ſeptenarium, Alkabiræ, tractuumque ejus exteriorum; item Pyramidum, & diſtrictuum Ægypti, in quibus illæ viſuntur.* Deinde ejusmodi *Khavatim* i. e. ſigilla, ſive concluſiones, omnibus utriusque partis capitibus ſubjici; quam methodum in prœmio libri Auctor ipſe ſibi præſcripſit his verbis: وغير ذالك وذكرت عقب كل باب من هذه الابواب السبعة والابواب التي قبلها سبع حكايات وسميتها خاتمة الباب *Præterea commemorantur in fine cujusque horum ſeptem capitum, & eorum ſeptem capp. quæ his ſubjiciuntur, narrationes peculiares, quarum quamque* Khatemat albáb, ſigillum capitis, *appellare lubuit.* Pergit Herbelotius: *Au bout de la quelle il y a encore ſept hiſtoires differentes.* Si hoc verum, utique codex, quo uſus eſt Herbelotius, noſtro plura continuit. Certe has hiſtorias codex Sparfvenfeldianus ignorat, poſt caput ſeptimum ſecundæ partis, de ſeptem floribus Ægypti, perinde ut laudatus codex Lugdunenſis Bibliothecæ, nihil amplius addens. Ultimo non poſſum quin annotem occurrere in libris Mſ. Bibliothecæ communis

 Lugduno

Lugduno-Bat. pag. 296. n. 48. librum eodem hoc titulo *Succardan* i. *Vaſis Saccariferi*, inſignitum, auctore Chalicano; qui â noſtro eſt diverſus, ſi nomen auctoris recte appoſitum ab illis, qui catalogum adornarunt. In eadem Bibliotheca plura hujus codicis reperiuntur exemplaria. vid. pag. 356, 361, 367, 372. Apud Oxonienſes in Anglia occurrit inter libros Seldenianos pag. 160. n. 3281. & inter Hydianos p. 286. n 6384.

## XIII.

كتاب فتح شام شريف في طريق
حج المساكين

Liber de expugnationibus Syriæ, nobilisque Damaſci (*quæ eſt*) in via miſerorum peregrinantium ad urbem Meccam. Turcicè, in 4:to. Emtus Tuneti a, 1691. Quamvis in hoc codice, ut in aliis multis, ſcriptoris nomen non exprimatur, puto tamen hujus hiſtoriæ auctorem eſſe *Abu Abdalláh Ben Omar Al-Vakidi*, qui & alium reliquit librum de *Expugnationibus Ægypti*, per Muſulmanos variis temporibus factis, de quo vid. Biblioth. Lugdun. pag. 312. n. 58. Hunc ſcriptorem Herbelotius, ut in nominibus auctorum mire variat, modo appellat nomine a nobis jam dicto, modo eum vocat, *Abu Caſem Ali Ben Haſan Ben Khalaf Al-Vakedi*. Simul docet hoc opus in Compendium miſſum eſſe ab *Abu Iſmail Mohammed Ben Abdalláh Al-Azdi Al-Baſri*, & carmine expoſitum a *Mahmud Ben Mahmud Ben Giami*. Quis autem Turcicè converterit nobis non conſtat. Extat Arabicè in Bi-

in Biblioth. Oxonienſi p. 48. n. 417. & forte idem eſt liber, qui inter Pocockianos habetur p. 277. n. 5603. hac inſcriptione: *Expugnatio Syriæ.* Occurrit etiam inter libros Narciſſi Archiepiſcopi Dublin. catal. MS. Angliæ Tom. II. part. 2. p. 54. n. 1126. Reperitur item in Bibliotheca Regia Lutetiæ Pariſiorum, & Lugdunenſi apud Batavos. Vid. Herbel. p. 342. & Catal. Bibl. Lugd. p. 296. n. 45.

## XIV.

كتاب نجباء الابناء للشيخ الامام
الاديب الاريب الفاضل المصنف ابن
ظنفر الاندلسي

NUgjabâ-El-Ebnâi h. e. Filii Generoſi. Auct. Docto &c. Antiſtite Ebn Dhonfar Andaluſio. in 4:to. Liber rarus, & eleganter ſcriptus. Quid brevis hic titulus ſibi velit, ex præfatione, quæ ſatis hic longa, conſtare poterit, ubi illud: الابناء النجباء *Filii Generoſi*, modo per اهل الله *homines Dei*, modo per انبياء *Prophetas*, atq; ſanctos Dei legatos, explicatur. De prophetis ipſis Muſulmanorum, & indiciis quibus illi cognoſcantur, de familiis Sanctorum apud Muhammedanos, de حمل رسالة الله onere & munere legationis divinæ &c. præ-

cipue hic agitur. Ipſe liber, quantus quantus eſt, traditionibus fabulisq; Muhammedicis conſtat. Dividitur vero in Sectiones IV. majores, quibus ſui præfiguntur tituli, iique rhythmici & ingenioſi. Viz. adpellatur Sectio]

I. الغرر العوالي

II. النخب التوالي

III. النكت الكرايم

IV. الفقر الخواتم

Has ſectiones articuli interſecant minores, quorum ſingulis hic præmiſſus eſt rhythmus:

درّة زين لقرّة عين

Li kurrati Ein    Durrati Sein.

h. Margarita ornamenti, ad recreationem oculi.

## XV.

كتاب الخبر في معرفت عجايب البشر ابو عبد الله محمد التواتي

Liber varias continens hiſtorias de admirandis ſ. memorabilibus generis humani. Auctore Abu Abdalláh Muhammed El-Teváti. Liber rariſſimus in 4:to. Spiſſum eſt volumen innumeris

meris carminibus, lepidisque hiſtoriolis ex variis ſcriptoribus excerptis, diſtinctum, & ad recreationem lectorum, ut in præfatione docetur, contextum. Ab hoc opere diverſum eſt quod eodem fere titulo: مختصر في اخبار البشر Abulfedæ principis Syriæ hiſtoriam univerſalem in compendium redactam complectitur, & in biblioth. Lugdunenſi, Oxonienſi & aliis, invenitur.

## XVI.

كتاب درج الغرر ودرج الدرر في محاسن النظر والنشر الامير السيد عبيد الله بن احمد ادام جمع خادمه عمر بن علي بن محمد المطوعي

D*Arg El-Gurer, va-Durg El-Durer.* i. e. Charta rerum eximiarum, & capſa margaritarum, continens encomia illuſtris viri *Emiri Obeid Alláh Ben Adam.* Collectore ſervo ſuo Omar Ben Ali Ben Mohammed al-Mutewwai. Liber antiquus & rarus in 8:vo. Dividitur in X. ſectiones ſequentes. 1. De encomiis quibusdam, quibus docti viri illius temporis mactarint Amirum dominum Abi Naſr Ahmed Ben Ali Adam, cujus celſitudo

Deus. 2. De carminibus plurimorum excellentium virorum in Emirum Dn. Abil Fadli Adam, cujus &c. 3. De variis exemplis ſeu ſpeciminibus facundiæ ipſorum. 4. De poëmatibus quibus laudarint Emirum Dn. Aba Naſr Ahmedem fil. Ali Adam, cujus &c. 5. De celebribus quibusdam ipſius Emiri Obeidallæ carminibus de ſtudio rerum excelſarum, & de antiquitate generis. 6. De excellentia ipſius in amatoriis carminibus pangendis, quorum ſpecimina hic non pauca exhibentur. 7. De deſcriptionibus & comparationibus. Deſcribuntur autem res variæ, v. g. narciſſus flos, nova luna, cera, glacies, arborum rami nivibus onuſti &c. unde elegantes & ingenioſæ ſimilitudines ad morum doctrinam pertinentes deſumuntur. 8. De amicitiis ipſius. Hic occurrunt carmina, quæ in amicos ipſe luſerat. 9. De variis jocis, quibus inter colloquendum cum amicis, vel ad illos ſcribens uſus ſit. 10. De monitis, & epicediis ipſius &c. Leguntur in hoc capite cum alia, tum carmina nonnulla, quibus defunctos ipſe amicos defleverit celebraritque. In fine auctor commendatur ob componendi ſcribendique promtitudinem, qui hunc librum abſolverit uno die autumnali, nempe quarto & vigeſimo menſis Dei Benedicti a. Heg. tricenteſimo nonageſimo & octavo. Libri deſcriptor fuit Haſan Ben Raſchik, qui teſtatur ſemet apographum ſuum cum codice deſcripto diligentiſſime contuliſſe, opusque abſolviſſe menſe Giumadi poſteriore anno Heg. quadringenteſimo decimo octavo.

XVII.

## XVII.

كتاب فيه مجموع لطيف
هلال اليوتي

SYlloge jucunda variorum, collectore Hallâl Al-Juti. Potiorem libri partem occupat tractatus Hiſtorico-Theologicus Islamiſmi prærogativas, & felices progreſſus ubique extollens, & contra Chriſtianorum Judæorumque ſub Chalifis Muhammedanis perſecutiones enarrans. Dolendum vero mutilatum eſſe antiquum & eximium codicem aliqua ſui parte.

## XVIII.

كتاب خريدة العجايب لابن
الوردي

CHaridato 'l - Agjáib. i. e. Margarita mirabilium, ſive, Geographia atque hiſtoria naturalis Ibno'lwardi. Codex manu elegantiſſima exaratus, in 4:to. Nobiliſſ. Dn. Sparfvenfeldio à Sidi Muſtapha Ben Juſſuf Rais, claſſis, quæ Tuneti eſt, ſummo præfecto, dono fuit datus. In procemio, poſt felices comprecationes; auctor, per quos profecerit, candide profitetur. Suntque 1. خواجا نصير الطوسي Doctor Naſir Tuſenſis. 2. جغرافيه لبطليموسى

لبطليموسي Geographia Ptolemæi. 3. تقويم البلاد Takwim Albelád, auct. Al-Belchi. 4. مروج ذهب Murewwig Dhahab, *Aurum venale exponens.* auct. Meſaudi. 5. عجايب المخلوقات Agiáib Al-Mechlukât, Mirabilia rerum creatarum; auctore Ebn Al-Athir Giudi. 6. المسالك والممالك المراكشي Al-Meſalik va Al-Memálik, Viæ & Regiones, Auctore Al-Marakaſchi. 7. الابتاد Liber Al-Abtâd dictus, & alii, qui in progreſſu operis paſſim citantur. Sequitur pictura globi terreſtris, ſitum regionum mundi repræſentans. Hanc excipit generalis quædam introductio, de diſtantiis locorum, regionum magnitudine, item deſcriptione, & diviſione terræ. Hîc demum ſubjicitur diviſio libri in XIV. ſectiones. Quarum I. cæteris diffuſior agit de Regionibus & oris. II. De finibus & maribus. III. De inſulis & earum memorabilibus, & IV. ulterius de iis, quæ in maribus & inſulis occurrunt admiratione & obſervatione digna. V. De fluminibus celebrioribus. VI. De fontibus & puteis. VII. De excelſis montibus. VIII. De lapidum virtutibus. IX. De mineris, & gemmis, earumque virtutibus. X. De plantis, & fructibus, eorumque proprietatibus. XI. De oleribus, & eorum proprie-

proprietatibus. XII. De variis herbis, & earum viribus. XIII. De ſeminibus & eorum virtutibus. XIV. De animalibus & avibus, earumque proprietatibus. Hiſce ſubjuncta ſunt excerpta ex variis ſcriptoribus. I. De proprietatibus regionum, auct. Abi Manſur Al-Thaalebi. II. De antiquis Regibus, ut Alexandro Magno, Cyro &c. ex libro: ذهب المسبوك في سير الملوك Dhahab Al-Masbuk &c. *de peregrinationibus Regum*, cujus auctor eſt Ahmed Ben Ali. Al-Macrizi. III. Varii ſermones ex مسايل *Quæſtionibus* Abd'alláh Ben Salâm, quem librum reperiri in bibliotheca Regis Galliæ indicat Herbelotius p. 7. IV. De tempore quod fuit ante creationem rerum, ex libro البدء auctore Abi Zeid Al-Balchi. V. ارجوزة Carmen ita a verſuum genere dictum. VI. Aliud carmen auct. Scheich Abi Al-Feth. Hactenus de eximii hujus libri contentis. Reperiri Turcicè converſum Viennæ Auſtriæ apud clariſſ. virum Joh. Bapt. Podeſtà Interpr. Cæſareum, in fronte codicis ſua manu annotavit illuſtris Donator. Extat Arabicè in biblioth. Lugd. Bat. p. 308. n. 23. it. in biblioth. Oxon. inter Seldenianos p. 160. n. 3281. & inter Pocockianos p. 278. n. 5698. conf. ſpecim. Arab. p. 370. & haud dubiè idem eſt liber, qui inter codd. Narciſſi Arch. Dubl. tom. II. part. II. pag. 54. n. 1171. recenſetur hoc titulo: *Geographia e libris Ptolemæi, Belchi & Naſero'ddini decerpta.* anon. fol. & inter eosdem p. 56: Liber *Alvardi* de rebus memorabilibus.

## XIX.

بستان شيخ مصلح الدين سعدي شيرازي

BUſtân h. e. *Pomarium*, Auct. Muslah eddin Saadi Schiraſenſi. in 8:vo. Opus eſt Perſico carmine compoſitum, totoque oriente celebratiſſimum. Scripſit idem auctor alium librum non minus celebrem, كلستان dictum, i. e. *Roſarium*, quem vertit Germanicè Olearius, Gallicè Dn. Andreas du Ryer; cum Latina autem verſione & eruditis notis in lucem edidit Georgius Gentius Amſtelodami ſuperioris ſeculi anno primo & quinquageſimo. Qui etiam hoc Pomarium interpretari atque edere in animo habebat, ut in præfat. ad Giuliſtân ipſe memorat, quo itidem loco contenta hujus libri pulchre recenſuit his verbis: *Spes eſt, ut tibi quoque auctoris noſtri AUREA POMA deguſtanda demus. Scripſit enim ille duos libros, alterum hoc ROSARIUM, quod tibi hic prodidimus: alterum POMARIUM, quod decem capita complexum, mera quoque ſapientia, hiſtoriis, & graviſſimis ſupra quam dici poteſt, conſtat ſententiis.* Primum *agit* de juſtitia & juſto mundi regimine; *quomodo populus a principe ſit fovendus, & Numen Divinum venerandum.* Alterum de beneficentia & liberalitate, *ut quicunque dives illud intentâ curâ legerit, Deum merito celebret.* Tertium de amore, temulentia, & inſania; *non tamen, qua agitati humana, ſed Numine quodam correpti Divina ſpiramus atque perſequimur.* Quartum de Humilitate. Quintum de

de conſtantia & animi tranquillitate, *in providentia divina per omnia ſuaviſſime acquieſcentis.* Sextũ continentiæ *& illorum, qui eam colunt,* laudes effatur. Septimum diſciplinam, virtutem & bonos mores docet. Octavum laudes pro beneficiis Numini dicit. Nonum de pœnitentia & pietatis ſtudio. Decimum de precibus *& neceſſariis ad vitam humanam* diſſerit. Hujus libri pretium hinc quoque judicari poteſt, quod in Europam innumera fere ejus exemplaria invecta ſint, ut in una biblioth. Oxonienſis Academiæ in Anglia ſeptem numerare liceat.

XX.

كتاب يتيمة الدهر في محاسن
اهل العصر ابو منصور عبد الملك
بن محمد بن اسماعيل
النيسابوري الثعالبي

Jatimat Al-Dahar h. e. Unio ſeculi, de præclaris meritis virorum (*præſentis*) ævi. Auct. Abu Manſur Abd El-Malek Ben Mohammed Ben Iſmail Al-Niſaburi al-Thaálebi. Niſabur urbs Choraſanæ, patria fuit hujus ſcriptoris, qui obiit an. Heg. 430, vel ſecundum alios, 499. Reliquit præter alios bene multos, & hunc de Poëtis Orientalium elegantiſſimum librum, quem in quatuor اقسام (*partes*) diviſit. Quælibet harum decem continet capita. In prima parte recenſentur merita & poëmata illu-

illuſtrium ex familia Hamadanica virorum, reliquorumque Syrorum, ut & illorum qui his ſunt vicini, item Ægyptiorum atque Moſalenſium; & ſimul adferuntur particulæ ex carminibus ipſorum excerptæ. Pars II. agit de Iracenſibus. Pars III. De Gebalenſibus, Perſis, Giorgianis, & Thabareſtanis. Pars IV. De Gebalenſibus, Perſis, Giorgianis, Choraſanis, Mavaralnahrenſibus, Niſaburenſibus &c. Titulum libri ſignificare puto, *Unionem* ſ. unicam gemmam *ſeculi*, & inde librum, qui ob ſingulare & rarum argumentum, magno in pretio haberi debeat. Sic celebre quoddam poëma apud Arabes reperiri conſtat, quod الدرة اليتيمة i. e. *Margarita unica & incomparabilis* inſcribatur. vid. Bibl. Lugd. Cat. p. 385. Nec obſtat, quod ex altera vocabuli يتيمة ſignificatione, quâ *orphanam* ſ. *puellam parentibus orbam* denotat, occaſionem ſumſerit nonnemo laudandi auctorem noſtrum, qui poëtas orphanorum inſtar deſertos & mæcenatibus orbos foverit, & apud ſe exceperit; quæ pulchra eſt alluſio, nec ab ingenio Arabum, ac ſcribendi modo abhorrens. Ut minime neceſſe ſit cum Herbelotio ſtatuere: *C' eſt ce qui a fait donner à ſon livre le nom d' Orphelins. Hanc cauſam eſſe quod libro ipſius datum ſit nomen* Orphanorum. Etenim يتيمة non *orphanos*, ſed vel *orphanam*, vel *unionem* ſignificat. Verbis اهل العصر *virorum ſeculi*, ſ. عصرنا *ſeculi noſtri*, (ut partis II. initio auctor ipſe explicat,) Poëtæ orientis,

tis, auctoris ætate florentes intelligendi veniunt, quorum vitæ ac labores, quâ diximus methodo, hic deſcribuntur. Extat hic liber in bibliotheca regia Pariſiis notante Herbel. p. 479. & bis in bibl. Lugd. Bat. catal. p. 294. n. 23. & p. 334. n. 194. item in biblioth. Oxon. inter Seldenianos p. 159. n. 3228. & inter libb. Narciſſi archiep. Dublin. Tom. II. part. II. pag. 53. n. 1069.

## XXI.

كتاب يتيمة الدهر وهي شرح قصيدة محمد عبد المجيد بن عبدون لمولانا ابو القاسم عبد الملك ابن عبد الله بن بدرون الحضرمي (non زيدون)

Liber: Jatimat Al-Dahar, qui continet expoſitionem Poëmatis Abu Mohammed Abd-El-Mahid. (*Pocockio in Specim. Hiſt. Arab. p. 363. & in catal. Biblioth. Lugd. Batav. pag. 349. eſt Abdol Megid. Herbelotio Biblioth. pag. 10. Abd El-Magid, vel Ebd El-Hamid.*) Ben Abdun, per dominum noſtrum &c. Abu'lcâſim Abd'El-Malik Ibn Abd'allah Ben Bedrun Hadhramuthenum. Utrumque horum ſcriptorum in oriente maxime celebrari & aliunde conſtat, & inſcriptio hujus codicis docet, ubi alterum

 فخر

فخر الادبا عمدة البلغا *Gloriam eruditorum, & columen eloquentium*; alterum الفقيه البليغ الاديب الناظم الناير *Rerum legalium peritiſſimum, eloquentem, humanum, eruditum, poëtamque clariſſimum* nuncupari videmus. Horum alter ipſum poëma compoſuit; alter explicationem ejusdem, utpote obſcuriſſimi, ſcripſit luculentam. Utraque lucubratio præſenti codice exhibetur. Ipſum carmen continet ندب i. e. encomia ſ. epicedia in obitum filiorum Moslema, qui vulgo بني الافطس *Filii El-Afthas* dicti, & ſimul plurima de Regum Arabiæ & Perſidis origine, temporibus atque rebus geſtis narrat. Hos auctores multi permutant, ut carmen filio Bedruni, commentarium vero filio Abduni adſcribant. Porro alii poëmatis auctorem, alii commentatorem, cum quodam Ebn Zeidun confundunt, in quo etiam ipſos Arabes hærere incertos video. Sane in titulo hujus operis, ut facile patebit diligentius intuenti, primo ſcriptum fuerat ابن بدرون *Ibn Bedrun*, quod ab alio deinde mutatum fuit in ابن زيدون *Ibn Zeidun*. In ipſo autem præfationis initio evidentibus & ab omni recentiori manu intactis legitur verbis: ابو القاسم عبد الملك

الملك بن عبد الله ابن بدرون الحضرمي الشبلي *Abulkâſim Abd-El-Malik Ben Abd'alláh Ibn Bearun Al-Hadhrami Al-Shebeli.* Unde ſuſpicor ſcriptores fuiſſe diverſos, ſed ob quædam illorum ſimilia unum pro altero ſumtum fuiſſe. Fuit quidam nomine *Abu'l Valid Ahmed Ben Abd'alláh Ibn Zeidun Al-Hadhrami Al-Andaluſi Al-Corthobi*, quem a parum attentis pro noſtro accipi potuiſſe facile credam. In his enim multa ſimilia. 1. Ipſum nomen quandam habet ſimilitudinem. 2. Uterque Hadhramutho oriundus, & in Hiſpania natus. 3. Alter Sevillæ natus, alter regis Sevillæ vizirus fuit. 4. Uterque excellentiſſimus fuit poëta. Hos autem diverſos fuiſſe viros, & nominum diſcrepantia, & ævi, quo vixerunt, diſtantia ſatis perſvaſerint. Obſervamus porro de patria hujus noſtri non eadem tradi ab Herbelotio (*) Modo enim Sabtæ i. e, Ceutæ in Mauritania, ** modo, ut in noſtro eſt codice, Sevillæ in Hiſpania natum affirmat. Pariter in nomine ipſius prodendo non parum variat. Eſt enim ubi *Abdel Malek fil. Abdallæ Al-Hadhrami Alſabti* illum dicat; Eſt item, ubi longius recedens: *Marvan Abd'al Melek Ben Abd' Alláh Ben Jardun Al-Hadhrami Al-Ashbili* ipſum appellet. *** Nec de titulo carminis ſatis certus videtur fuiſſe Herbelotius, cum idem nunc *Abduniah* † nunc *Baſſama* ab auctore inſcriptum tradat. †† In præſenti codice perinde atque in catal. Lugd. p. 302. tantum قصيدة *poëmatis* nomine venit. Titulus comentarii idem

*Herbelot. Bibl. Or. p. 10 & 191. ** Sabtenſem etiam Pocockius facit, Spec. Hiſt. Arab. p. 363. *** Herbel. p. 8. 10. 191. † العبدونية vid. catal. Bibl. Lugd. Bat. p. 356. †† Herb. p. 10. 19.

idem eſt, quem pulcherrimo operi ſuo de vitis & carminibus poëtarum Arabũ impoſuit *Abu Manſur Abdol Malek al-Thaálebi*, quod proximo ſub num. breviter recenſuimus, viz. يتيمة الدهر i.e. uti quidem exiſtimo, *Margarita ſeculi*, ſignificans, librum inſtar unionis ſingularem eſſe, & ob raram doctrinam ſummo in pretio habendum. Aſſervari plura hujus libri exemplaria in bibliotheca Lugduno-Batava oſtendit catalogus an. 1674. editus pag. 302 n. 20. pag. 354. n. 405. & pag. 356. n. 417. conf. item p. 349. n. 349. Quem ultimum librum quamvis auctor ejus catalogi cum noſtro eundem faciat, diverſum tamen eſſe patebit conferenti ejusd. cat. p. 344. n. 289. & 358. num. 445. & pag. 422. n. 28. Quem errorem ex confuſione, quam diximus, duorum ſcriptorum *Ebn Abdun*, & *Ebn Zeidun*, profluxiſſe nemo non videt. Et eandem doctiſſimo quoque Pocockio impoſuiſſe mecum fatebitur, cui Specim. Arab. pag. 39. conferre grave non erit. Qui tamen poſtea errorem deprehendit *, inter cujus libros MS. hic etiam fuit, nunc illatus Biblioth. Oxonienſi. Vid. catal. Oxon. p. 276. n. 5539.

## XXII.

GRammatica dicta التصريف *Taſriph.* in 8. Ipſi tractatui, cujus verba ſuperductis minio lineolis diſcernuntur, intertextus eſt commentarius ſatis amplus & copioſus, qui non raro etiam margines implet, & verſus paginarum oras atque angulos mira ſcribendi ratione diſtenditur. Eſt autem character *Ta'lik* pendulus ille, & feſtinatus, Perſis inprimis uſitatus.

* vid. ejusd. pag. 363.

tatus. Agitur in hoc libro de verbi Arabici affectionibus variis. Hanc Grammaticam Latinè converſam typis Mediceis Romæ edidit Joannes Baptiſta Raimundus an. MDCX. *cum ab extremo oriente*, (ut in præfatione ſcribit) *certior factus eſſet illic in ſcholis prælegi, atque iis ediſcendam proponi, qui Arabicæ lingvæ rudimenta percipere ſtudent.* Deſcriptoris nomen, *Mahmud Abi Schirváni*, in fine commentarii legitur.

## XXIII.

Liber Grammaticus innominati auctoris, in charta optima elegantiſſimè ſcriptus. 8:vo. Hic liber mille ferè verſibus univerſam Arabum Grammaticam complectitur, & juxta receptam eorundem methodum III. capitibus rationem Nominis, Verbi, & Particulæ exponit. Puto ipſam eſſe الفية *Alphiah* Ibn Málik celeberrimi apud Arabes Grammatici, quem maximè auctorem in ſcholis Feſſanis juventuti proponi refert Clenardus Lib. I. Epiſt. 9. ut totum memoriæ commendent accuratiſſimè. Qui cum difficilis admodum ſit, plures in eundem commentaria atque notas ſcripſerunt.

## XXIIII.

Libellus Grammaticus incerti auctoris cum lemmatibus Latinis breviter adſcriptis. in 8:vo. In fine annexa ſunt Theologica quædam, Turcicè.

## XXV.

Dictionariolum Turcico-Perſicum magnam partem Gallicis vocabulis inter lineas minio adſcriptis

ptis explicatum. in 4:to. Hic liber olim pertinuit ad Sharum Mengreliæ Archilum Bagrationi, qui ſua manu quædam literis Ibericis in calce notavit, docente Nob. Dn. Sparſvenfeldio, qui hunc librum obtinuit Moſcuæ an. 1686. à Dn. de Lauzieres nobili Gallo, in aula dicti principis tunc temporis verſante.

## XXVI.

GRammatica, vocabularium, & colloquia Turcica, cum interpretatione Gallica. Auct. *Raphaële du Mant*, Gallo, Ord. Capuc. Regis Perſarum interprete. Scripta manu Balthazari de Lauzieres Galli. in folio. In hoc libro ſingulare eſt quod Turcica omnia Latinis literis exprimuntur. Sed diligenter obſervandum, ad patriæ lingvæ ſonum, & pronuntiandi conſvetudinem, auctorem unice attendiſſe. Unde Gallis hominibus, aliisq; qui Gallicè periti ſunt, præcipue inſervire poterit hic liber, quem & methodi concinnitas haud parum commendat.

## XXVII.

مشارق الانوار النبوية فى صحاح
الاخبار المصطفية الحسن ابن
محمد الصغاني

LIber continens traditiones ſive leges ex ore Muhammedis exceptas, auct. *Al-Haſan Ibn Mohammed Al-Sagáni*. Codex magni pretii, in 12. Scriptus eſt charactere Africano nitidiſſime

ſimè in gratiam Abdi'l Hakk Regis Maurorum Granatenſium, ut à libellione notatum in calce libri, & in fronte manu Geneроſiſſ. Dni Poſſeſſoris. Traditionum ejusmodi Muhammedicarum tantus eſt numerus, ut ab uno Bochario ſexcenta earum millia collecta ſint *. Sunt autem in duplici differentia. Alias *Propheticas* vocant, quas ab ipſo Muhammede profectas; & alias *Sanctas*, quas ab Angelo Gabriele ad Muhammedem allatas credunt. His ſummo ſtudio incumbunt Muhammedani, & quo quis plures احاديث *Ahadíth* memoria tenuerit, hoc apud ipſos doctior habetur. Reperitur in Bibliotheca Regis Galliæ, teſte Herbelotio p. 560. qui de hoc libro, & auctore ſæpius, ſed parum accurate & diſtinctè loquitur †.

## XXVIII.

## ديوان ابو الفضل عبد المنعم بن عمر بن الغساني الاندلسي الحلياني

DIvan ſ. Opera *Abu'l-Fadhl Abdo'l-Monaem Ben Omar Ben Haſan Al-Gaſſani Al-Andaluſi Al-Haliani.* in fol. Scriptus eſt hic liber exquiſitiſſima cum cura & elegantia, verſibus in tabellas



* Vid. Herbelot. in voc. HADITH p. 416. Gol. Lex. Ar. p. 584. Quomodo autem a ſcriptoribus Muhammedanis proponi ſoleant, vid. Lud. Marraccium in Prodrom. ad Refut. Alcor. p. 73. & paſſim. † Herbelot. pag. 560. 732. & 794.

las & figuras artificioſa ſerie diſpoſitis, & punctis ubique appictis, ut in hoc codice calligraphiæ Orientalis pulcherrimum ſpecimen adſpicere liceat. Compoſitum fuit hoc opus partim proſa, partim carmine in laudem magni apud Ægyptios Sultani *Salaho'ddin Abi'l Modhaffer Juſuph Ben Ajub*, qui ab Hieroſolyma an. D. 1187. Chriſtianis erepta celebre in hiſtoriis Europæorum juxta atque orientalium nomen obtinuit. Editum eſſe a filio auctoris ad finem legitur. In bibliotheca Regis Galliæ inveniri indicat Herbelotius pag. 360. & 747.

## XXIX.

تاريخ مصر مسمي الروضة الاسيوطي

RAudah, *Paradiſus*; i. Deſcriptio Ægypti, ejusque ſingularium, auct. *Gelalo'ddin Al-Asjuthi.* Charact. Africano, in 4:to. Cave accipias pro eodem libro, quem ſub num. IX. laudavimus. In præſenti enim opere Geographum agit Sojuthæus, & hiſtoriam naturalem terræ atque gentis Ægyptiacæ tradit, utriusque proprietates ſingulas adcuratè deſcribens. Videtur hujus operis mentionem facere Herbelotius in Bibl. Orient. p. 264. tit. *Caucab Al-Raudah.* An autem pag. 710. in tit. *Raoudhat Meſr*, idem deſcribat, non certò affirmaverim. Sane quod appellet, *un petit Ouvrage*, *opuſculum*, noſtro huic minime competit, quippe quod ſatis ſpiſſum eſt, & in plurima capita, vel ſectiones diviſum.

## XXX.

ثمار الاوراق لتقي الدين ابو بكر بن حجة الحموي

FRuctus Foliorum, Auct. *Takie'ddin Abu Becr Ben Hoggiat al-Hamavi.* Hic ſcriptor ob præclaram in ſtudiis humanioribus eruditionem magna fuit in exiſtimatione apud ſuos, omniumq; adplauſu exceptus eſt. Patriam habuit حماه *Hamah*, urbem Syriæ, unde dictus eſt الحموي *Hamavæus*, vel Hamatæus, ut in catalogo Lugdun. ſæpius vocatur *. Obiit autem an. Heg. 837 i. an. Ch. 1433. Conſtituunt hoc opus innumeræ narrationes, apophthegmata, carmina, &c. ex Hariræi & aliorum ſcriptis excerpta. Eſtque adeo omnis eloquentiæ Arabicæ locupletiſſimum penu. Scripſit & alia multa. In quibus eminent ipſius دواوين الانشاء الشريف بالممالك الاسلامية *Opera de componendis eleganter epiſtolis inter principes Islamicos mittendis*, quorum meminit auctor in præfatione operis præſentis. In bibliotheca Pariſienſi Regia hunc inveniri codicem monet Herbelotius p. 453. & 1022.

 XXXI.

* pag. 298. 324. & 371. Ubi item Ibn Higigia, vel Hogigia perperam appellatur.

## XXXI.

## ديوان الشيخ جمال الدين بن نباته

OPera Poëtica *Gemál e'ddin Ben Nobatah.* In præfatione libri dicitur: *Gemál e'ddin Mohammed Ben Mohammed Ben Mohammed Ben Abi'l Haſan Ben Ali Ben Jahía Ben Táhir Ben Mohammed Ben Al-Chatíb Abdo'r-Rahím Ibn Nobatah.* Ita ſunt Perſarum (addo etiam Arabum) mores, longa nomina contortiplicata habere. * Idem præterea à familia الحذاقي *Al-Hidháki*, à loco originis ** *Al-Fareki*, & à loco nativitatis المصري *Al-Mizri*, i. Ægyptius, dictus eſt. Diviſum eſt Opus pro numero literarum alphabeti in XXVIII. قوافي *Caváfi* i. e. poëmata in eandem ſyllabam terminata. In Caphia prima, ſyllabæ omnes exeunt in Elif. In ſecunda deſinunt in ب, & ſic porro. Fuit idem Homiliaſtes apud Muhammediſtas longe celeberrimus, unde dictus eſt خطيب الخطبا Chatíb al-Chotbá *Concionator Concionatorum*; & habentur

* Plaut. Perſ. 4. 6. 27. ** ميافارقين MIAFAREKIN urbe Syriæ.

tur ejus خطب *Homiliæ* in Bibliotheca Lugdunenſi, uti diſcimus ex catalogo p. 322. n. 60. & in regia Pariſienſi, teſte Herbelotio p. 675. Obiit an. Heg. 374 *.

## XXXII.

## الدر المنظم في مدح الحبيب الاعظم

